

stolica, ac definitiva sententia proponere quid esset in Ecclesia credendum. Non enim loquuntur de confirmatione Synodi, sed de quadam responsione ad capitula sibi obiecta, quae tanquam privata et adhuc spectans ad stadium inquisitionis potuit a Parisiensibus censerī. Atque ut talem eos habuisse hanc responsionem Pontificis ostendunt, cum postquam dixerint eum non satis fecisse argumentis sibi obiectis, subdunt quod « in fine tamen eiusdem apologiae sic sentire et tenere et praedicare et praecipere de his quae agebantur professus est sicut a b. Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquido colligitur quod non tantum scienter quantum ignoranter in eodem facto a recto tramite deviaverit ». Atqui haec ratio disserendi de aliqua re ut prius quis nitatur argumentis contrariis facere satis, ac tandem sententiam quam impugnavit admittat, propria est inquireris et privato studio aliquid statuentis, non iudicis ex auctoritate aliquid decidentis: ergo in ea responsione Adriani Patres Parisienses non viderunt nisi privatum aliquod opus ad stadium inquisitionis spectans: ergo. Non opus est autem monere in iudicio ferendo de inepta responsione Adriani, eiusque contradictione falsos esse eos Episcopos; sed nunc quid ipsi cogitaverint quaerimus.

THESIS XXXV.

Historia quoque controversiae Cypriani cum S. Stephano abutuntur, qui ex ea probare contendunt creditum fuisse ea aetate Romanum Pontificem ex cathedra docentem esse fallibilem: abutuntur quoque Augustini auctoritate qui ex epist. eius XLIII evidenter inferri contendunt licere a iudicio Romanae Sedis ad iudicium plenarii universae Ecclesiae Concilii provocare, illiusque sententiam per huius iudicium solvi posse.

I. Quoad Cypriani cum Stephano controversiam non una est sententia Catholicorum. Prima huc redit: concessa veritate historica omnium eorum actorum quae ad eam controversiam referuntur, respondetur Cyprianum nedum errasse cum nullum censuit baptismum haereticorum, sed et peccasse cum Stephano restitit, atque egisse tunc contra id quod ipse iam docuerat, et certissimum erat, parendum nempe esse ab Episcopis tum Patriarchae suo, tum praecipue Successori Petri Primatum habenti in universam Ecclesiam. Dices: ergo non credebat Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem. Respondeo: dato etiam quod tunc a Cypriano haberetur ea quaestio tanquam quaestio fidei, negatur 1) consequens: non enim Stephanus rem definire voluit. Sed licet proposuerit doctrinam Ecclesiae Romanae, abstinuit tamen, pro bono pacis, a ferenda sententia defini-

tiva, qua praeciperetur quid credendum esset, permittens interea ut donec res sollemniter definireretur, unusquisque in sua sententia maneret (Cf. Th. XXVIII). 2) quod si Cyprianus dicatur putasse Stephanum peremptoriam sententiam tulisse ex cathedra, distinguimus consequens: nunquam credit Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem, negamus: non credit tunc cum propriae opinionis amore abductus maluit obedientiae debitae Pontifici quam suae opinioni renunciare; transmittimus. Transmittimus inquam, quia neque hoc necessario consequitur; nam potest quis agere contra id quod credit. Se gessisset itaque in hac hypothesi Cyprianus, quemadmodum tot alii, qui postquam plurimo tempore Ecclesiae magisterium reveriti sunt, volunt potius obedientiae debitae Ecclesiae quam suae opinioni renuntiare. Actus enim fidei tandem liber est, et mutabilis.

Verum quid inde consequitur? Ecclesiam ne ea aetate credidisse Romanum Pontificem ex cathedra definientem esse fallibilem? ut huiusmodi consequens probaretur, oporteret demonstrare Ecclesiam tunc et putasse Romanum Pontificem ex cathedra esse locutum, et probasse resistantiam Cypriani: atqui neque haec probata est, si Augustino et Hieronymo credimus; neque similem in Orientalibus probavit Dionysius Alexandrinus: neque primum admitti potest, cum omnes scirent Stephanum non negasse communionem suam aliter sentientibus. Restat ergo tantum inobedientia Cypriani. Ita adversariis contententibus Cyprianum restitisse in re dogmatica Romano Pontifici, admissa eorum hypothesi, respondendum est: quod si quaerant, cur ergo ut sanctus colitur Cyprianus ab Ecclesia, respondendum erit, id probare quod vel falsa est hypothesis adversariorum, vel a sua opinione discessit tandem Cyprianus et, prout par erat, se subiecit, vel Ecclesia putavit inobedientiam Cypriani falce martyrii purgatam fuisse.

II. Altera responsio (cf. Natalem Alexand. H. E. Sec. 3. D. 12. a. 4. et Auctorem anonymum Dissert. De auctoritate Pontificis vindicata etc. Part. 2. apud Migne Vol. III. p. 1325 seqq.) ait Cyprianum non existimasse quaestionem de baptismo haereticorum esse quaestionem fidei, sed solum disciplinae; nempe non esse immutabile dogma, sed mutabilem praxim. Non dicimus quod existimatio sua recta fuerit, sed quod talem habuit existimationem: quod quidem nemo ex eo inficiari poterit quod falsa esset opinio; dandum est enim Cyprianum errasse. Itaque ut haec responsio probetur, non est opus afferre argumenta *intrinseca*, quibus demonstraretur potuisse vere haberi eam quaestionem ut quaestionem disciplinae; sed satis est afferre argumenta *extrinseca* quibus demonstraretur Cyprianum ita sensisse; agitur enim de facto subiectivo Cypriani: quod si argu-

menta intrinseca rei repugnent opinioni Cypriani, consequens erit quidem ipsum errasse, non autem ipsum alienum fuisse ab ea opinione, nisi supponas ipsum non potuisse errare.

Iam vero advertantur haec: 1) Cyprianus praxis suae originem repetit solum a decessore suo Agrippino (hic vero videtur auctore Tertulliano hanc invexisse disciplinam ut omnes baptizati a quibuslibet haereticis rursus baptizarentur) qui sub finem secundi seculi, vel sub initium tertii rexit Ecclesiam Chartaginiensem; eumque se sequi dicit: dum simul sciret Cyprianus consuetudinem sibi oppositam universaliorē esse, et antiquitus viguisse (Epistola eius ad Iubaianum, et ad Quintum, Augustinus De Baptismo L. II. c. 7; L. IV. c. 6: Hieronymus Dialog. adv. Luciferianos c. 9): atqui nequit vindicari ut dogma fidei id cuius traditio seculo tertio incepit, et universitati simul et antiquitati adversatur: at nihil prohibet legem disciplinarem novam statui, eandemque servari quia iam a pluribus annis est in usu. Habebatur ergo a Cypriano res disciplinae.

2) Cyprianus concedit liberum esse Episcopis singulis in sua Ecclesia statuere de hac re quod sibi magis probaretur (epist. eius ad Stephanum. cf. Hieronymum l. c. c. 9); atqui id quidem asseri potest cum res concipitur veluti ad disciplinam spectans, non vero cum censetur res spectans ad fidem: ergo. Dices id permisisse Cyprianum, quia res nondum erat definita. Respondeo, quod responsio haec plus habet speciei quam soliditatis. Neque enim Cyprianus ullam mentionem facit defectus huius definitionis ex cuius defectu rationem repetat eius libertatis: neque ita se gessit cum de rebus fidei ageretur, puta cum Novatianis: neque potuit ita simpliciter respondere, si de re fidei agi arbitrabatur: in fide enim iuxta sua principia quoque unitas est quaerenda; quare si veritas ignoratur, et de re agitur quotidiana praxi credenda, qualis erat valor baptismi, consulendum est prius Ecclesiae magisterium; et tunc si nihil certi obtineri possit, libertas permittenda.

3) Cyprianus significat doctrinam suam ex iis esse, quae singulis solent a Deo in melius revelari, quaeque proinde, cum meliora et utiliora extiterint, amplectenda sunt: idemque contendit contra sententiam suam non esse consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum (epist. ad Quintum et ad Iubaianum): atqui haec affirmari possunt cum lex aliqua disciplinaris cogitatur, non vero cum dogma fidei agitur, nisi ab eo qui sit homo in re dogmatica hospes prorsus et rudis.

4) Basilius quoque (epist. canonica 1^a ad Amphiloichium) quaestionem de baptismo haereticorum tanquam disciplinarem pertractat, et cum negat sibi videri baptismum quorundam haereticorum va-

lere, concedit tamen recipi posse, si abrogatio illius baptismi sit universalis oeconomiae impedimento futurum; et cum rationes attulerit Cypriani quibus probatur haereticorum baptismum non valere, subdit: « Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum oeconomiam, eorum baptismum suscipi, suscipiatur ». Haec porro sunt loquentis de re disciplinari, non de dogmate. Si autem ita censuit Basilius, mirum esse non debet quod et Cyprianus in eadem fuerit opinione.

Porro advertendum quod Cyprianus provocat quidem pro sententia sua ad Scripturas; verum nunquam affirmat eam formaliter, ut ita dicamus, in Scripturis contineri, sed solum ex Scripturis argumentatur, probare volens praxim suam consentaneam esse doctrinae Scripturarum et fidei, imo magis consentaneam quam consuetudo opposita: hoc autem et in disciplina tuenda fieri potest. Quia in disputatione si quis modum in loquendo excedat, phrasibusque iis utatur, quae dogmaticam doctrinam indicare videantur, eas ex mente auctoris aliunde perspecta explicare et temperare licebit. Simili ratione loquendi ulitur Cyprianus in hac quaestione ac cum agit de modo electionis Episcoporum. Morem eligendi, qui tunc vigeat, ait de divina auctoritate descendere (ep. 68): legem baptizandi baptizatos ab haereticis ait de divinae dispositionis ordinatione venire (epist. 72. ad Stephanum).

Idem Cyprianus interrogatus a Magno de clynicis, an habendi sint legitimi christiani eo quod aqua salutari non loti sunt, sed perfusi; responsionem suam affirmantem in epist. ad eundem sic emollit « qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praeiudicat, quominus unusquisque quod putat sentiat, et quod senserit faciat ». Non ergo putabat hanc quaestionem ad fidem pertinere, seu super hac re doctrinam Apostolicam haberi. Iam vero ex ea responsione videtur fuisse in ea opinione Cyprianus, ut in potestate esset Episcopi quasdam conditiones statuere, vel quaedam impedimenta, ut nunc loquimur, apponere quibus ipsa existentia Sacramenti impediretur. Ita explicari posse putat auctor anonymus citatus qua ratione Cyprianus censuerit quaestionem de baptismo haereticorum disciplinarem esse, ac licere singulis Episcopis in ea re propriam sententiam sequi; ipse vero propter rationes quas affert putaverit merito Agrippinum abrogasse baptismum haereticorum, quem proinde sequi maluit.

Nota tamen quod etsi putaverit Cyprianus rem esse disciplinae, peccavit tamen non obediendo Romano Pontifici: verum cum Stephanus eum in sua retinuerit communione, cessavit forte inobedientia, cessante praecepto: et quidquid peccati olim admissum fuit, falce martyrii purgatum est.

Ita in hypothesi veritatis omnium monumentorum quae ad hanc causam referuntur, responderi potest.

III. Responsio tertia. Sunt qui historiam controversiae Cyprianae de valore baptismi, vel ex toto vel ex parte inter fabulas amandant: ut Raymundus Missorius Franciscanus in opere: Disputationes criticae in duas epistolas Firmiliani et Cypriani adversus decretum S. Stephani etc. Marcellinus Molkenbuhr eiusdem Ordinis in dissertatione de epistola Firmiliani ad Cyprianum: Vincentius Tizzani Episcopus Nisibensis in opere: La celebre contesa fra S. Stefano e S. Cypriano. Roma 1862. Nos non negamus Cyprianum in ea olim fuisse opinione ut tincti ab haereticis essent baptizandi: atque ita sensisse eum ante decretum Stephani concedimus, vel transmittimus. Quamvis advertere liceat Augustino nihil fuisse certum. Nam contra Cresconium L. II. c. 31. loquitur hypothetice: « Si scripta eius esse constat, quae pro vobis proferenda arbitramini » et c. 35 « si autem putatis, et Cyprianum vobis in hac sententia (baptismum haereticorum non valere) favere iactatis », et rursus c. 32. « vel quicumque illam scripsit epistolam (ad Iubaianum nempe) ». Hypothetice nimirum semper loquitur Augustinus. Verum nobis satis est quaestionem instituere circa sententiam Cypriani contra decretum Stephani, ideoque de iis quae facta vel dicta feruntur post notitiam acceptam eius decreti, nempe de epistola Cypriani ad Pompeium, de Concilio III, ac de epistola Firmiliani ad Cyprianum.

Decretum S. Stephani integrum non exstat, scripsisse vero ipsum et decrevisse aliquid in hac quaestione tum ad Africanos tum ad Orientales testantur Dionysius Alexandrinus (penes Eusebium H. E. L. VII. c. 5) Eusebius ibid. c. 3. Augustinus de baptismo L. V. c. 25. Hieronymus adv. Luciferianos: nec fieri certe potuit ut ad Synodalem Epistolam ad eum missam a Cypriano circa eam quaestionem Stephanus responderet nihil. Partes illius decreti prout ex epistola Cypriani ad Pompeium, et Firmiliani ad Cyprianum colligere licet, hae forent: « Quarendum non est quis sit ille qui baptizat, eo quod qui baptizatus est gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, Filii et Spiritus S. (Firm. c. 7)... in multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi (ibid. c. 11)... his, qui apud haereticos baptizantur, adest praesentia et sanctimonia Christi (ibid. c. 8)... qui in nomine Christi ubicumque et quandocumque baptizantur, innovati et sanctificati iudicentur (ad Pompeium c. 3)... si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad

se venientes non baptizent, sed communicent tantum ». Vides quam perfide calumnientur haeretici recentiores Stephanum ac si quicumque baptismum quacumque forma collatum probaverit, cum diserte vim baptismi tribuat invocationi Trinitatis nominum, et loquatur de iis qui baptizantur in nomine Christi, nempe baptismo ab ipso instituto, in quo nomen quoque eius profertur, sive cum dicitur Filius, sive cum huic explicite additur *Iesu Christi* nomen. Et sane controversia omnis tunc ea tantum erat, an baptismus collatus ab haeretico, eo quod a tali collatus, esset invalidus; id unum propugnabat cum suis Cyprianus, ipsum non valere quia haereticus dare nequit quod non habet, quia baptismum, qui unus est, sola Ecclesia possidet.

Iam vero decreto his vel similibus verbis expresso paruit ne Cyprianus, an restitit? Duplex quaestio fieri potest: 1) an statim se subiecerit, ideoque nunquam restiterit: 2) an quamvis ab initio restiterit, tamen deinceps ab obedientiam redierit. Nobis quidem satis est huius alterius veritas vel probabilitas; ex inobedientia enim, quam ipse Cyprianus damnaverit, quid contra auctoritatem Romani Pontificis colligi ex Cypriano potest? Qui utrumque negat, his potissimum argumentis innititur: a) epistola Cypriani ad Pompeium, Concilium III Chartaginiense in causa baptismatis, et Firmiliani litterae resistentiam Cypriani manifestam faciunt: b) nulla antiquorum testificatio exstat quae doceat Cyprianum cessisse auctoritati Romanae Sedis: c) Concilium Arelatense I manifeste indicat sua aetate adhuc Africanos uti lege propria rebaptizandi (cn. 8); at si Cyprianus mutasset sententiam, propter eius auctoritatem lex illa, quae ad Agrippino inceperat, desiisset. d) Atque per tot secula sequentia retentum est Cyprianum maculam suam solo martyrio purgasse.

E contrario haec sunt argumenta quibus certe suadetur Cyprianum vel nunquam restitisse auctoritati Romani Pontificis, vel ab obedientiam tandem rediisse. Sane 1) Augustinus epist. 93. ad Vincentium Rogatistam haec habet « Cyprianus autem aliter sensisse de baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiae non in canonicis, sed in suis et in Concilii litteris invenitur. Correxisset autem istam sententiam non invenitur; *non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit*, et fortasse suppressum sit ab iis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt: quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub eius nomine a praesumptoribus atque mendacibus fuisse confictum »... Porro autem Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi naevum sui candi-

dissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime retinuit vinculum pacis. Accessit huc etiam quod tanquam sarmantum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis». Ex his constat 1) aetate Augustini nullum exstitisse certum testimonium perseverantiae Cypriani in suo errore suaque inobedientia; neque ad id probandum fuisse Augustino sufficiens argumentum epistolas, quae exstant, Cypriani: 2) Augustinum, qui Donatianos noverat, arbitratum esse fieri potuisse ut ii suppresserint quaedam Cypriani scripta: 3) ipsumque Augustinum probabile putasse quod Cyprianus suam sententiam correxerit: huiusmodi est enim quod non incongruenter existimatur. Quod vero probabile Augustino tunc erat, cur non erit probabile modo? Augustinus quidem inter recitata verba ait se «ob duas res non negare illud sensisse Cyprianum, quod et stylus eius habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci, et quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior». Verum aliud est quod Cyprianus id senserit, aliud quod non correxerit: praeterea argumentum secundum allatum ab Augustino probat tantum necesse non esse id Catholicis negare ut suam causam contra Donatianos defenderent: prius vero argumentum probaret quidem epistolam quoque ad Pompeium esse genuinum Cypriani opus; sed per se solum non est argumentum demonstrativum; quia non est improbable quod aliquis donatianorum sit stylum Cypriani imitatus, cum praesertim de ea re scribendum esset, de qua iam Cyprianus scripserat, ex cuius praecedentibus epistolis ratio scribendi et formulae poterant derivari.

Concilium tertium in causa baptismi haereticorum, quod habitum dicitur post sententiam Stephani, merito suspectum est. Nam iam in praecedente Concilio, cuius litterae synodales missae fuerant ad Romanum Pontificem, res plenissimis suffragiis acta erat; cur ergo rursus convocantur ut tanquam de re dubia deliberent iidem Episcopi. Unica haec ratio esse potuit vel ut responsio Stephani acciperetur synodaliter, vel ut oppositio, quae eidem fiebat, probaretur. Atqui evidens est quod haec non fuit ratio cur concilium haberetur. Nam si prior ratio exstitisset, lectae certe fuissent litterae Stephani in concilio; atqui licet enumerentur singillatim aliae litterae, quae lectae sunt, nulla mentio fit in actis litterarum Stephani. Id porro ostendit quod nec tunc exstabat altera ratio; nam pariter lectae fuissent litterae Stephani, earumque saltem mentio facta fuisset, et fieri non potuisset ut tot Episcopi suffragium suum singillatim ferentes et suam sententiam argumentis confirmantes, ut se Stephano opponerent, nihil unquam afferrent quo auctoritas Stephani minueretur,

seu quo demonstraretur non esse necesse obedire Stephano legitimo superiori. Atqui nihil huiusmodi apparet in eo Concilio. Quod si aliqua allusio in quadam sententia alicuius Episcopi fit ad decretum Stephani, ea fingi utique potuit ab eo qui synodum supposuit.

Praeterea quid sibi volunt haec verba Cypriani in praefatione: «Habet omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non potest, quam nec ipse iudicare. Sed expectemus universi iudicium D. N. I. C. qui unus et solus habet potestatem et praeposendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de actu nostro iudicandi»? Sensus necessarius horum verborum est plane haereticus et schismaticus: et etiamsi intelligatur Cyprianus loqui de solis Episcopis praesentibus, nonne ipse Cyprianus habebat potestatem cum sua Synodo iudicandi singulos Episcopos Africae? nonne id canonibus Africanis erat statutum, ut in prima instantia Episcopi iudicarentur in Africa? quomodo ergo dici potuit unum et solum Christum habere potestatem iudicandi singulos Episcopos, ita ut eius iudicium sit expectandum, quo excluditur potestas quam Christus per suos ministros exercent? Haec non solum falsissima sunt, sed adeo adversantur elementaribus notionibus societatis ecclesiasticae, ut absurdum sit cogitare ea dicta esse a Cypriano sollemniter in Concilio. Adest ergo ratio cur dubitemus an Synodus haec qualis modo legitur, habita fuerit.

Ceterum satis constat in causa baptismi ea aetate habitam fuisse aliam Synodum qua prior sententia est emendata. Huius enim Concilii memoriam reliquit nobis S. Hieronymus adv. Luciferianos iniquiens: «Cyprianus haereticorum baptismum reprobans ad Stephanum tunc Romae Urbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus eius frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum». Hic est sermo de iisdem numero Episcopis qui baptizandos baptizatos in haeresi censuerant. Dubitare vero licet an e sententia Hieronymi ipse Cyprianus novo decreto consenserit: eum enim Hieronymus non recenset inter illos qui novum emisere decretum, sed potius ab eis separare videtur. Verum si illud decretum emissum est vivente adhuc Cypriano, non est dubitandum quod ille huic accesserit; at aetatem illius decreti nos Hieronymus non docet. Ceterum liquet istud concilium, de quo loquimur habitum esse, cui forte substitutum fuit a Donatianis illud tertium in causa baptismi haereticorum, ut huius memoria deleretur, confictum ex sententiis secundi Concilii, et ex quibusdam Cypriani sententiis hinc inde e suis operibus coacervatis, aliisque secundum eius stylum coloratis, alienis tamen ab eius mente.